

ita non est defectus naturæ, sed ejus depravatio. R. Christum assumptis omnes defectus naturales hominis, excepto peccato, & illi quæ ad peccatum inclinant. Unde, sicut non assumptis sit liberum arbitrium indifferens ad bonum & ad malum, sed determinatum ad bonum; ita non assumptis appetitum sensitivum indeterminatum ad appetendum contra, vel secundum rationem, sed rationi perfecte subjectum.

Inst. 10. Apost. ad Rom. 7. deplorat concupiscentiam, ut summum malum & summam miseriam; ergo, ut ante, non est defectus naturalis, sed naturalis dispositionis depravatio. R. N. Conseq. Quisque enim recte dolet de naturalibus suis defectibus. Ex hoc ergo testimonio Apost. quod August. urgebat contra Julian. sequitur tantum, quod concupiscentia non sit laudabilis & naturæ bonum, ut volebat Julian. Adde, quod concupiscentia hujus status, quam deplorat Apost. sit poena peccati, de qua quisque lugere potest. Item homini elevato ad bona supernaturalia magis est dolendum, quod se sentiat a tanto bono retrahi, & ad villam peccidum bona inclinari, quam si ad humana tantum bona foret destinata.

Inst. 11. Apost. ibidem vocat concupiscentiam peccatum; ergo. R. cum Trid. Sess. 6. concupiscentiam vocari ab Apost. peccatum, non quod sit formaliter & proprie in se peccatum; sed quia nunc est ex peccato, & ad peccatum inclinat.

Inst. 12. Si concupiscentia nihil pravi, & mali moralis habeat, liceret illi consentire; falsum consequens: ergo. R. N. Seq. Quia rationis officium est illam regere, & in debita subjectione continere; in quo si voluntarie deficiat ratio, vel consentiendo, vel non reprimendo ut potest, peccat. Sicut, si grex ovium irrumpit in pascea aliena, nihil est ibi mali moralis, cujus oves non sunt capaces; sed si opilio, cui commissa est grex custodia, huic irruptioni consentiat, aut non faciat, quod in se est, ut illam impediat, peccat. Similiter in nostro casu.

Inst. 13. Sæptem concupiscentia foret omnino inutilis in statu naturæ puræ: ergo. R. 1. dato Ant. N. Conseq. Non enim foret concupiscentia in statu naturæ puræ, quia esset utilis, sed quia est defectus sequens naturam. 2. R. N. Ant. Ut enim dicit Aug. cit. in probat. Conclusionis, concupiscentia foret tunc proficiendi admonitio, et perfectionis exordium. Insuper, etsi nos latere, ad quid utilis foret concupiscentia in natura pura, non latuisse Deum, si sibi bene visum fuisset hunc statum condere.

Dices ex S. Anselmo libr. de Conceptu virginali c. 13. concupiscentiam in homine innocente esse aliquod inconveniens, & ex eodem libr. 1. Cur Deus hom. c. 10. quod in Deo quodlibet parvulum inconveniens sequatur impossibilitas: ergo. R. D. Ant. Concupiscentia, supposita divina bonitate erga hominem, quam nobis revelavit in Scripturis, & presentium providentia, qua elevavit hominem ad finem supernaturalem esse aliquod inconveniens, C. Absolutè, N. Quia, si Deus voluisset, ut poterat, alium rerum ordinem constituere, & hominem in puris naturalibus concupiscentiæ obnoxium relinquere, hoc fuisset conveniens, quia voluntas ejus est suprema regula totius convenientiæ. Unde S. Thom. 1. p. q. 25. art. 5. ad 2. *Falsum est, quod dicitur, inquit: Deus non potest facere nisi quod modo conveniens est et justum.* Unde ad 2. D. Pariter: in Deo quodlibet parvulum inconveniens sequatur impossibilitas ex suppositione, C. Absolutè, N. Vide, quæ dixi post probationem Conclusionis.

#### Objectiones ex cæteris hujus vitæ miseris.

O. Bj. Aug. contr. Julian. passim probat peccatum originale ex passibilitate, mortalitate, & cæteris hujus vitæ miseris, quibus obnoxii nascimur; atqui, si essent defectus naturales, & tales, ut homo in natura pura, & sine peccato illis obnoxius nasci poterit, argumentum Aug. ut patet, nihil concluderet: ergo. R. D. Maj. Aug. probat peccatum originale ex miseris hujus vitæ, solitarie sumptis, & attenda sola conditione naturæ, N. In presentium rerum statu, in quo Adam creatus fuit cum dono immortalitatis, C. Supposito enim, quod Adam creatus fuerit in justitia originali, impassibilis, & immortalis, hasque prerogativas transfudisset in posteris, si non peccasset, miseris, in quibus nascimur, probant ipsum peccasse, & dari peccatum originale.

Inst. 1. Si Aug. ex miseris hujus vitæ arguisset ad probandum contra Pelagianos peccatum originale, supponendo, quod Adam creatus fuerat immortalis & impassibilis, supposuisset, quod negabant Pelagianus, & quod erat in questione; continebant enim illi Hæretici, Adamum creatum fuisse, sicut nunc nascimur, mortalem & passibilem; sicque argumentatio Aug. fuisset vitiosa petiti principii: ergo. R. S. Aug. non solum supposuisse Adamum fuisse creatum impassibilem & immortalem, & mortem, aliasque hujus vitæ miseris esse poenas suæ prævaricationis, sed & invictè probasse ex Scripturis

& Traditione, quæ admittebant Pelagianus. Ex Scripturis. Genes. c. 3. Sapient. 2. Rom. 5. & alibi pluribus. Ex Traditione l. 1. contr. Julian. c. 5. ipsum alloquens: *Habes, inquit, in conspectu, non solum Occidentis, verum etiam Orientis Episcopos... omnes uno eodemque modo credunt per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem.* Ex Concilio Carthag. & Palæstino, in quibus damnatus fuerat Cælestius dicens, *Adamum mortalem factum esse, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Unde S. Doct. l. 3. contr. Julian. c. 1. ipsum iterum alloquens, dicit: *Absit, ut ad monomachiam vos provocet, quos, ubicunque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus, qui debellavit apud Carthagenem Cælestium, qui debellavit in Palæstina Pelagium, ubi causam vestram sua damnationis timore damnavit. Ibi enim omnino cecidit hæresis vestra, de morte scilicet Adæ, sive peccaret, sive non peccaret.* Vellent ergo nollent Pelagianus, admissa veritate Scripturarum & Traditionis, prout admittebant, cogebantur admittere primum hominem fuisse creatum immortalem & impassibilem; ideoque mortem, morbos, & alias miserias, quibus obnoxii nascimur, esse poenam alicujus peccati, quod hominem dejecit a primævo suo statu, consequenter dari peccatum originale.

Inst. 2. Aug. l. 1. operis imperi. contr. Julian. c. 39. dicit universaliter, quod neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest: ergo juxta Aug. attenda Dei justitia, non potest creari homo in statu, in quo absque peccato esset obnoxius nostris miseris. R. N. Conseq. Semper enim loquitur Aug. in presentium statu, in quo Adam fuit creatus immortalis & impassibilis: quo supposito, vocat poenales hujus vitæ, miserias, quia sunt poena peccati, & ex culpa illas patimur: in statu verò possibili naturæ puræ, ubi nulla foret culpa, non essent proprie miseris (sicut aves & oves innocentes non dicuntur proprie miseris, quod sint mortales) sed ut dixi ipsemet Aug. l. 3. de lib. arbitri. c. 20. & seq. forent proficiendi admonitio, & perfectionis exordium; sicque conferrent ad assequendam beatitudinem naturalem, ideoque Deus, qui sic creasset hominem, non foret culpandus, sed laudandus. Quantum ad parvulos præmature morientes, qui his reat uti non possent, dicit c. 23. & Ep. 18. ad Hieron. *Præterquam quod ex eorum infirmitatibus aliqua utilitas ætate proventibus procurari potest, Deum in secreto iudiciorum suorum aliquid bonæ compensationis posse illis reservare.* Quid sit autem illud, ipse solus novit.

Inst. 1. Aug. docet, quod, seclusa Scripturæ & Traditionis auctoritate, ex solis hujus vitæ miseris, seu poenalitibus possit probari præcessisse aliquam culpam, & ita agnovisse, & collegisse Philosophos gentiles. Sic enim ait l. 4. contr. Julian. c. ult. *Hujus evidentia miseris gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive sciant, sive credentes, compulsi dicere ob aliqua scelera suscepta in vita superiore parvarum luendarum causa nos esse natos:* ergo. R. 1. Aug. & Philosophos Gentiles ex solis miseris hujus vitæ independentè a Scripturæ & Traditionis auctoritate collegisse peccatum originale, non certè & demonstrativè, sed conjecturaliter tantum, & probabiliter. Quia, ut ait S. Thom. 4. contr. Gent. cap. 52. *Quamvis hujusmodi defectus homini naturales absolutè videantur, considerando tamen divinam Providentiam & dignitatem superioris partis humane nature, satis probari potest hujusmodi defectus esse poenales; & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum:* Et sic intellexisse Aug. constat, quia, juxta ipsum, Peccatum Originale sola fide tenetur; & ex solis Scripturis, & Traditione probari potest. Etenim l. 1. contr. Julian. ipsi sic exprobat: *Scimus, vos idè dicere peccato hominis nature statum non mutari, quia deseruistis fidem Catholicam, que dicit primum hominem sic factum, ut non haberet moriendi necessitatem.* Et l. 6. contr. eundem c. 4. dicit, argumentationes hominum hic debere conticere: *Si tibi, inquit, Christiana fides displicet, apertius confitere; nam christiana fides aliam non potest invenire.* Et libr. de moribus Ecclesiæ c. 22. *Peccato Originale, inquit, nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Quis autem difficultas ad intelligendum Peccatum Originale, quale ejus secretum, si ex miseris, quas non solum in aliis videmus, sed quas in nobis palpamus, certè & demonstrativè posset dignosci; quomodo illius transmissio ad solam fidem pertinere; in hac hypothesi id non intendit ex singularibus quibusdam miseris hujus vitæ, sed ex omnibus per loca & tempora collectivè sumptis, quæ longè majores sunt nunc, sive ex corruptione naturæ per peccatum, sive ex operatione demonum, quam fuisset in statu naturæ puræ. Id constat ex Aug.

l. 22.

l. 22. de civit. c. 22. ubi hæc dicit: *Quod ad primam originem pertinet, omnem mortalium originem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quedam profunditas ignorantie, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse rerum vanarum atque nostrarum, & ex hoc mordeas curæ, perturbations, marores, formidines, insana gaudia, discordie, lites, bella, insidie, iracundiæ, inimicitie, fallacia, adulatio, fraus, furto, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, luxuria, incesta, & contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immunditia, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemie, perjuria, oppressiones innocentes, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentie, latrocinia, & quidquid talium malorum in mœnem non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Verum hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & perveris amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nullatenus dubio cum nostro celebri Thoma de Lemos Tom. 1. Tract. de lesione lib. arbitri. c. 10. Quod tot enumeratæ mala non haberet homo sine omni peccato, ut in puris naturalibus conderetur. Merito ergo Aug. ex tot, ac tantis miseris in unum collectis, quæ tot, ac tante non forent in statu naturæ puræ, ratione naturali deduxit contra Pelagianos Peccatum Originale.*

Repones contra hæc 2. superabundantem solutionem, Aug. non solum ex omnibus his miseris in unum collectis, sed ex minima poena, quæ fuisset in statu naturæ puræ, deduxisse Peccatum Originale: ergo. Prob. Ant. S. Doctor serm. 14. de verbis Apost. alloquens Pelagium dicit: *Quæ est ista justitia? Defendit justitiam Dei. Quæ vel parva parva infligitur innocentibus?* ergo. R. N. Ant. ad probat. Dico, Aug. loqui in hypothesi justitiæ originalis excludentis omnem omnino poenam etiam minimam, quæ donatus fuerat Adam, & quam ad posteris transmississet, si non peccasset. Non enim existimandum est, Aug. ex modico dolore capitis, aut ventris, sed ex ejulatu infantis ob absentiam matris, aut nutricis, seu ex aliqua alia simili levissima poena voluisse, seclusa Scripturarum, & Traditionum auctoritate, demonstrare Pelagianus existentiam, & transfusionem peccati originalis, quod ita abhorrebant: id sane risissent arguti, & solertes Hæretici.

#### ARTICULUS III.

Utrum homo in statu naturæ lapsæ nondum reparatae minores vires habeat ad bonum morale, quam habuisset in statu naturæ puræ?

EX Parbola Luc. 10. hominis descendens ab Jerusalem in Jericho, & incidens in latrones, qui spoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto, communi vox est SS. Patrum, & Theologorum, ut jam dixi, hominem per Peccatum Originale, non solum fuisse spoliatum justitiæ originali, & aliis donis gratiis, sed etiam fuisse vulneratum in naturalibus. Vulneris nature dicimus hic disruptionem, & discontinuationem unionis, atque subordinationis rationis ad Deum, partis inferioris ad rationem, & corporis ad animam: sicut enim in corpore humano dicitur vulnus, quando inter partes ejus continuas, & unitas fit aliqua divisio, & disruptio; ita analogicè in anima dicitur vulnus, quando potentie ejus naturales, quæ erant unitæ, & ad invicem subordinatæ, fuerunt divisæ per destinationem hujus subordinationis. Unde, quamvis in natura pura non fuisset major unio, & subordinatio inter has potentias, quam sit nunc, non tamen diceretur vulnus; quia, cum iste potentie nunquam fuissent junctæ, & subordinatæ, defectus unionis, & subordinationis non esset per disruptionem, & discontinuationem, & idè non potuisset dici vulnus.

Cum (Hic q. 88. art. 3. o.) autem in homine præter animam rationalem, quæ per gratiam originale unicuique Deo ut ultimo fini, sint quatuor potentie, quæ possunt esse subiectum virtutum, scilicet intellectus, in quo est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; & concupisibilis, in qua est temperantia; disruptio unionis animæ cum Deo per privationem gratiæ sanctificantis potest dici primum, & capitale vulnus, vel juxta alios, morbus, & langor animæ; præter quod numerantur quatuor alia vulnera juxta numerum dictarum potentiarum. In quantum enim ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantie; in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum irascibilis destituitur suo ordine ad bo-

Theol. Billuart. Pars Secunda.

nam ardum, est vulnus infirmitatis; in quantum concupisibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Et quamvis ista perfecta unio, & subordinatio potentiarum in statu innocentie non esset naturalis, seu debita naturæ, sed ex dono gratuito; quia tamen erat bonum naturæ, ipsamque perficiebat etiam in suo ordine naturali, ejus disruptio dicitur vulnus naturæ, & per hanc homo vulneratus in naturalibus. Utrum autem non alio insuper sensu homo non debeat dici vulneratus in naturalibus, explicabimus modo. Ex his liquet, hominem in statu naturæ lapsæ longe esse debiliorem ad bonum, & prouorem ad malum, quam in statu naturæ integræ, & innocentis. Et hæc certa sunt apud Auctores. Sed difficultas est respectivè ad statum naturæ puræ, utrum homo in statu naturæ lapsæ non reparatæ habeat minores vires ad bonum morale naturalis ordinis, quam habuisset in natura pura?

Quidam volunt, vires naturales hominis ad bonum morale per Peccatum Originale esse imminutas ex aliquo positivo physico, scilicet, vel ex morbida qualitate a pomo, vel sibilio serpentis causata, quæ ad posteris transeat: eo ferè modo quo Parentum morbi ad filios propagantur; ita Henricus, Gabriel, & quidam antiqui. Vel ex habitu positivo inclinate in bonum commutabile per peccatum actuale Adæ in ejus potentis impresso, & ab illo cum natura ad posteris transfuso, eo ferè modo, quo ex imaginatione matris notæ indelebiles infanti imprimuntur, & in quibusdam familiis virtuosos, aut vitiosos sunt hæreditarii. Ita, qui reponunt Peccatum Originale in positivo, & singulariter Jansenius. Vel ex majori efficacia, & intentione per Peccatum Originale potentis nostris superaddita ratione cujus a contraturali statu, quem haberent in natura pura, ad statum præternaturalem transeat ardentius, & effrenatius feruntur in bonum sensibile rationi contrarium; ita Corduba, & quidam alii. Vel ex dispositione corporis, quæ modo pejor est post peccatum in vindictam illius, quam fuisset in puris naturalibus, ex qua pejori corporis dispositione potentie animæ etiam immateriales sunt infectæ, & ad malum inclinata: mala siquidem dispositio corporis etiam in animam resultat: sicut patet, quod ex diversa complexione corporis anima tristetur, jucundetur, vel ad libidinem excitetur: ita D. Daelman Observ. 2. de Peccato Orig.

Verum hi omnes dicendi modi manent confutati ex dictis de Peccato Originale art. 5. Ibi enim repositum essentiam Peccati Originalis in privatione justitiæ originalis, quæ omnes potentias subordinatas continebat, & earum deordinationem prohibebat: ex remotione autem prohibentis nihil aliud reale positivum sequitur, quam quod ex principis intrinsecis sequi naturæ est consequenter non morbida qualitas, non adventitius habitus positivus, non intensio potentiarum superaddita, non alteratio corporis pejor, quam in puris naturalibus. Item hujus positivi, quodcumque sit, nulla potest assignari causa, non sibilus serpentis, non enim Adamum, sed Evam affatus est non pomum, quia erat ex se bonum; non peccatum actuale Adæ, quia non existit amplius, nec fuit in Adam alterius rationis in esse physico, quam quodvis aliud peccatum, ut produceret vel hanc merbidam qualitatem, vel habitum, vel intensionem, vel alterationem corporis; non Deus, id enim sine ullo fundamento fingitur; & quantum ad qualitatem, habitum, intensionem inclinantem in malum, repugnat. Insuper isti Auctores sic tenent vires naturales minui per istud positivum, sive qualitatem, sive habitum, sive intensionem, ut in eo reponant essentiam Peccati Originalis; ex quo sequitur, Peccatum Originale non esse equaliter, & uniformiter in omnibus, nam istud positivum secundum ipsos traditur per virtutem seminis cum natura; cum autem virtus seminis, utpotè corporea, sit obnoxia alterationi, & variis causis eam variantibus impossibile est, quod istud positivum equaliter, & uniformiter a tot sæculis omnibus tradatur. Specialiter contra assertores habitus; Si Adam peccando contraxit malum habitum, (cum tamen per unum actum non contrahatur habitus) penitendo contraxit habitum contrarium: ergo non debet amplius traduci malus habitus. Verius ergo dicendum cum D. Thom. (Hic q. 81. art. 2.) quod habitus, tam boni, quam mali non traduntur, quia actus, & habitus per eos producti sunt per se, & idè non traduntur, sed solum id quod ad naturam pertinet, nisi forte naturalem complexionem immutent, & vis generativa sit efficacissima; sed hoc valdè contingenter fit, unde non habet locum in peccato originali, quod uniformiter transit ad posteris. Specialiter contra D. Daelman. Si complexio corporis sit pejor nunc, quam fuisset in natura pura in vindictam peccati, cum in omnibus sit æqualiter Peccatum Originale, deberet esse æqualis in omnibus vindicta; & tamen ubique videmus inter homines alios alios ex pejori complexione longe procliviores in malum. His ergo variis dicendi modis omissis, ut minus probabilibus.

Ggg 2

Qui-

Quidam dicunt, vires naturales hominis ad bonum morale per Peccatum Originale non esse diminutas intrinsicè, & quoad entitatem; bene tamen extrinsecè ex appositione impedimenti; ut explicabitur modo. Ita ex nostris Alvarez, Lemos, Contenson, Goudin, & alii. Alii tenent, ex nullo capite, sive intrinsicè, sive extrinsecè, vires naturales hominis ab bonum morale esse diminutas per Peccatum Originale; ideoque hominem in statu naturæ lapsæ non habentem peccatum actuale, sed solum originale, nullo modo esse debiliorem ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in statu naturæ puræ; ita ex nostris Gonet cum quibusdam aliis Thomistis, & pluribus extraneis.

Dico: Vires naturales hominis ab bonum morale ordinis naturalis in statu naturæ lapsæ nondum reparatæ non sunt immutæ intrinsicè, & quoad entitatem: probabilis est tamen, esse minus habiles ad bonum morale extrinsecè, & ex appositione impedimenti, quod non fuisset in natura pura; atque hoc sensu posse dici minores, quam fuissent in natura pura. Conclusio quoad utramque partem deducitur ex variis locis S. Thom. In primis S. Doct. hac in parte q. 85. art. 1. o. dicit: *Bonum naturæ humanæ potest tripliciter dici: 1. Ipsa principia naturæ, & proprietates animæ ex his causata, sicut animæ potentie, & alia hujusmodi. 2. Cum homo habeat a natura inclinationem ad virtutem, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum gratiæ. 3. modo potest dici bonum naturæ donum originalis justitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti naturæ humanæ. Primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec minuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi Parentis. Sed medium bonum naturæ, scilicet inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Et in 2. d. 70. q. 1. art. 1. ad 3. Dicendum, inquit, quod bona naturalia dicuntur dupliciter; vel prohi sunt in se considerata, secundum quod naturæ debentur ex propriis principiis; & sic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est...vel secundum quod ordinantur in finem ultimum; & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt quidem, non penitus amissa, in quantum atterque factus est minus habilis, & magis distans a finis consecutione. Et propter hoc homo dicitur gratuitis spoliatus, & in naturalibus vulneratus. Explicat autem dicta q. 85. art. 2. o. hanc minorem habilitatem per appositionem impedimenti. Dicendum, inquit, quod prædicta inclinatio (ad bonum) intelligitur ut media inter duo; fundatur enim sicut in radice in natura rationali, & tendit in bonum virtutis sicut in terminum, & finem. Dupliciter igitur potest intelligi ejus diminutio; uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipsam naturam, ut supra dictum est, (scilicet art. præcedenti) sed diminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. Quodnam sit istud impedimentum, quod est in natura lapsa, & quod non fuisset in natura pura, jam dicemus in probatione secundæ partis conclusionis. Itaque ex principiis positis S. Thomæ*

Prob. 1. pars Conclusionis: Vires naturales hominis ad bonum morale ordinis naturalis, scilicet intellectus, voluntas, & appetitus sensitivus sunt proprietates necessario, & uniformiter manantes ab essentia; consequenter sicut ipsa essentia non admittunt plus, & minus, præsertim intellectus, & voluntas, qui, cum sint spirituales, sunt incorruptibiles, & inalterabiles. Confirmatur: Peccatum Originale consistit essentialiter in privatione justitiæ originalis, quæ continebat potentias in recto ordine; atque ex removente prohibens nulla realis, & physica mutatio fit in re, sed suæ naturæ relinquatur: ergo.

Quantum ad 2. partem, de qua est potissimum difficultas, facile probatur in Doctrina S. Thom. juxta quam non potest stare peccatum originale cum solo veniali; quia vel homo in primo instanti rationis se convertit ad Deum, & sic justificatur, ac transit ad statum naturæ reparatæ; vel non se convertit, & sic peccat mortaliter. Unde fit, quod in statu naturæ lapsæ sit a Deo aversus voluntate capitis, & voluntate personali, eaque voluntate ad creaturam conversus. Qua supposita doctrina, evidens est hominem in natura lapsa sic aversum a Deo ultimo fine, & conversum ad creaturam, esse minus habilem ad bonum morale (ex amore enim finis movetur voluntas ad media, ut mox dicam) quam hominem in natura pura, qui nec voluntate capitis, nec voluntate personali foret a Deo aversus; & ad creaturam conversus; si enim iste homo in natura pura non se converteret ad Deum in 1. instanti rationis, jam non esset in statu naturæ puræ, sed transiret ad statum naturæ lapsæ. Verum, quia D. Thom. doctrina non est omnium, incumbit probare hominem in solo peccato originali sine actuali existentem esse minus habilem ad bonum, quam existentem in natura pura: Igitur.

Prob. 2. pars Conclusionis: Ille est minus habilis ad bo-

num morale ordinis naturalis, qui est aversus a Deo ut ultimo fine naturali, quam qui non est sic aversus; atque homo in statu naturæ lapsæ non reparatæ est per peccatum originale aversus a Deo ut ultimo fine naturali, & in statu naturæ puræ non sic esset aversus: ergo homo in statu naturæ lapsæ extrinsecè, & ex appositione impedimenti est minus habilis ad bonum morale, quam in statu naturæ puræ. Major videtur certa; quia efficacia, & vires voluntatis ad eligenda media sumuntur ex amore, & conversione ad finem, qui se habet in agilibus sicut primum principium in speculabilibus. Sicut ergo, qui non est rectè instructus primis principiis, sed ab eis deviat, est minus habilis ad deducendas veras Conclusiones, ita qui est aversus a fine, est minus habilis ad operationes rectas. Prob. Min. Adam peccando non solum legem supernaturalem violavit, sed etiam naturalem; omne enim peccatum est contra rationem, & legem naturalem, præcipiente obedire omni superiori legitime jubenti; consequenter omnem suam posteritatem a Deo ut auctore naturali averit: atque in natura pura non fuisset hujusmodi aversio, quia non fuisset peccatum: ergo.

Respondent Adversarii, quod etiam in natura pura homo esset aversus a Deo ut auctore naturali; cum hoc tamen discrimine, quod in statu naturæ lapsæ sit aversus aversione privativa, & culpabili, orta ex peccato originali; in statu autem naturæ puræ esset aversus aversione negativa, & inculpabili, utpotè non proveniente ex culpa, sed ex conditione naturæ: cum enim homo constet duplici appetitu, scilicet rationali in bonum honestum, & sensitivo in bonum sensibile, non exigit ex natura sua applicari ad amorem boni honesti, vel sensibilibus, sed ad amorem boni ut sic, ex quo per discursum rationis, & electionem voluntatis se movere possit ad bonum honestum adeoque in natura pura non fuisset conversus ad Deum ut auctorem naturalem, consequenter ab eo aversus negativè. Sed contra. Quantumvis homo in natura pura non esset positivè conversus ad Deum, esset tamen magis habilis ad se convertendum ad illum, quam qui est ab eo aversus voluntariè per peccatum; primo enim sufficeret auxilium ordinarium; secundo necesse est speciale: primus est in debita dispositione, ut recipiat motionem divinam in bonum honestum; secundus non est in debita dispositione, quia est in peccato, & voluntariè aversus: Deus autem movet unumquodque secundum ejusque dispositionem. Pone duos pueros pervenientes ad usum rationis, unum in natura pura innocentem, & sine omni peccato, alterum in natura lapsa, & peccato originali inquinatum, atque exosum Deo: quis dubitat, primum esse magis habilem ad se convertendum ad Deum, magisque dispositum ad recipiendam ejus motionem in bonum honestum, quam alterum? Et sanè si foret tanta aversio hominis in natura pura, quanta est in homine lapsa, jam prior non foret in natura pura, sed foret in natura lapsa. Uno verbo, peccatum originale est malum morale; malum morale opponitur bono morali, & est illius impedivum; quod non foret in natura pura.

Quidam non improbabiler ponunt aliud impedimentum ex captivitate, & tyrannide diaboli, ut enim dicitur 2. Petr. 2. *A quo quis superatus est, ejus & servus effectus est.* Et Trid. Sess. 5. de peccato origin. Can. 1. anathemate ferit eum, qui dixerit primum hominem transgrediendo Dei mandatum non incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis demèdè habuit imperium, hoc est, diaboli. Hac autem captivitas, cum sit effectus peccati, non fuisset in statu naturæ puræ. Exercet autem Diabolus suam tyrannidem invitando, & movendo sibi subditos variis modis ad omnia flagitia, proponendo objecta extrinsecæ, commovendo phantasiam, inflammando passiones, alterando corpora, &c. Et quamvis potuisset tentare homines in natura pura, si quidem tentaverit primum hominem in natura integra, verisimilius est tamen longè potentius, & efficacius suum dominatum exercere in suos captivos: permittente Deo in peccati vindictam.

Si dicas, hoc impedimentum compensari per custodiam bonorum Angelorum: responderetur, quod in natura pura fuisset etiam custodia bonorum Angelorum; quia hoc pertinet ad ordinem, quo inferiora reguntur a superioribus. Insuper malus Angelus habet majorem potestatem in hominem sibi subditum per peccatum ad impellendum ad malum, quam bonus Angelus ad bonum propter defectum peccati.

In confirmationem nostræ sententiæ venit, quod sit conformior modo loquendi SS. Patrum, & Theologorum, qui dicunt hominem per peccatum originale non solum fuisse spoliatum gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus; Adamum peccando secundum corpus, & animam in deterius fuisse mutatum; & liberum arbitrium esse viribus attenuatum. Quamvis enim in rigore hæc possint intelligi respectivè ad statum innocentie, & de destitutione subordinationis, quæ, ut diximus, erat bonum, & perfectio naturæ, attamen magis expedire

& magis obvè intelligantur de absoluta immutatione virium naturalium ad bonum morale, saltem extrinsecè, & ex appositione impedimenti.

#### Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Thom. in hac parte q. 85. art. 1. & 3. ponit discrimen inter peccatum originale, & actuale, quod originale privet justitiæ originali, actuale vero minuat inclinationem ab bonum, generando vitiosum habitum inclinatum ad malum: ergo, juxta S. Thom. in statu naturæ lapsæ homo cum solo peccato originali non habet minores vires etiam extrinsecè & ex appositione impedimenti, quam in statu naturæ puræ. R. 1. in Doctrina S. Thom. quam sequitur Gonet, cujus est hoc argumentum, N. Suppositum Consequentis, quia juxta S. Thom. peccatum originale non potest esse in adulto sine actuali. Sed abstrahendo ab hac sententia, R. 2. S. Thom. intelligendum esse de impedimento positivo physico, ut est habitus vitiosus, qui sequitur ex peccato actuali, non ex originali; non autem de impedimento morali, quod est aversio ab ultimo fine, quæ reperitur in peccato originali, sicut in actuali: cum hoc solo discrimine, quod in peccato originali sit voluntaria voluntate capitis, in actuali voluntaria voluntate persone.

Obj. 2. cum eodem. Ex removente prohibens non sequitur major, aut minor effectus naturalis, quam ex natura ipsa sequatur, ut patet in exemplo lapidis sursum detenti; ille enim, remoto prohibente, velocius non movetur, quam si fuisset motus a sola gravitate; atque peccatum originale se habet solum ut removens prohibens in ordine ad motus inordinatos voluntatis, & appetitus sensitivi, quatenus abstruit justitiam originalem, qua motus inordinati compecebantur: ergo. R. N. Min. Nam peccatum originale præter privationem justitiæ originalis importat aversionem a Deo ut auctore naturali, qualem non importat natura pura. Hac autem aversio est impedimentum morale boni faciendi. Unde ex hoc argumento, quod præcipuum est sententiæ oppositæ, sicut ex variis textibus S. Thom. quibus dicit per peccatum Originale *Naturam sibi relinquere*, hic q. 82. art. 4. ad 4. & sublato vinculo justitiæ originalis unamquamcumque vim anime tendere in suum proprium motum, ibid. q. 87. art. 7. & similibus: ex his, inquam, solum prob. 1. pars Conclusionis, nimirum vires naturales ad bonum non minus intrinsicè, physicè, & entitivè, non vero non minus moraliter, & ex appositione impedimenti in ordine ad bonum prosequendum.

Inst. cum eodem. Homo per Peccatum Originale non est factus deterius quantum ad corpus, quam fuisset in natura pura: ergo nec quantum ad animam. R. Omissis Ant. N. Consequ. Quia deterioratio anime, quam admittimus, non est quid physicum, sed morale tantum impedimentum, non est quid physicum, sed morale tantum impedimentum, scilicet aversio ab ultimo fine, cujus corpus non est capax, cum ipse non sit converti ad ultimum finem, vel ab eo averti, nec motus ejus sint morales, nisi denominativè extrinsecè. Omissis Ant. Quia, quamvis deterioratio corporis non causetur immediatè ex Peccato Originali, ut dictum est, probabile est tamen diabolum, qui ratione Peccati Originalis tener homines captivos, in eorum corpora etiam sævire, & suam tyrannidem exercere, ea variis malis, & incommodis affligendo.

Obj. 3. Comparatur communiter homo in statu naturæ lapsæ homini in statu naturæ puræ, sicut nudatus nudo. Nudatus autem non minus habet, quam nudus: ergo R. D. Maj. Comparatur communiter, &c. quantum ad aliquid, C. Quantum ad omnia, N. Homo lapsus privatus fuit justitiæ originali, & aliis donis gratuitis, quibus erat vestitus, & ornatus, & ideo quantum ad hæc nudatus: hæc non habuisset homo in natura pura, & ideo quantum ad hæc nudus. At homo in statu naturæ lapsæ est insuper aversus voluntariè, & culpabiliter a Deo ut auctore naturali, qualis non fuisset in natura pura; unde ex hac parte debet homo lapsus comparari homini in natura pura, non ut nudatus nudo; sed ut vulneratus sano.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum tam Adamo, quam Angelis fuerit necessaria gratia per se efficax ad perseverandum?*

Res hic enim est cum Jansenio, & Theologis, qui vulgò dicuntur Augustiniani. Hi, quamvis in hoc statu admittant necessitatem gratiæ per se efficacis, contendunt tamen ex Aug. libr. de corrupt. & grat. c. 10. 11. 12. ea Adamum, & Angelos non indiguisse ad perseverandum, sed sola gratia indifferenter, & versatili pendente a nutu liberi arbitrii, qualem Molinistæ admittunt in præsentis statu. Thomistæ contra propugnant necessitatem gratiæ efficacis pro utroque statu; cum hoc discrimine, quod in primo statu esset gratia sanitatis, in

secundo sit gratia medicinalis, seu, ut dicit Aug. illa sit leviore, ista potentior. Et quia tota concertatio est de mente hujus S. Doctoris

„Dico: Juxta S. Aug. Gratia per se efficax fuit Adamo, & Angelis necessaria ad perseverandum. Prob. 1. ex formalissimis S. Aug. testimoniis. Præcipuum, & palmare habetur l. 12. de Civit. Dei c. 9. ubi ex professò S. Præsul quærit id, quod nunc agimus: unde processerit bona voluntas Angelorum, qua aliis cadentibus ipsi steterunt: is est titulus capituli: *An sancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis* (illius scilicet volitionis, qua perseveraverunt) *Auctorem per Spiritum S. in eis charitate diffusa?*

Quid huic Quæstioni respondent, aut respondere debent Adversarii? Utroque Angelos bonos, & malos habuisse gratiam versatilem, bonos suo consensu eam efficacie efficacem, malos suo dissensu inefficacem, eaque de causa illos stotisse in accepta justitia: illos cecidisse. At quàm dissitè ab Aug. *Si Angeli*, inquit S. Doctor, propositæ Quæstioni respondent, non potuerunt facere se ipsos meliores, quam eos ille fecerat, non nemo quidquam melius facit, profectò, & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non potuerunt; & cum id egit voluntas eorum bona, ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summè est, convertentur... Quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem in solo desiderio mansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem... Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate, quam sola natura non fecit (ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono) aut minorem accepterunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstitissent, aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi **AMPLIUS** adjuti, ad eandem beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fuerunt, perseveraverunt; sicut etiam in libro, quem sequitur iste, tractaviimus. Confundendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus est eis. Quamvis aperitissimum sit hoc testimonium pro nostra sententia, ut tamen tota vis ejus magis elucescat, singula perpendo.

1. Juxta Aug. nulla creatura, neque etiam Angelus, potest se facere meliorem, quam a Deo facta sit; atque, si Angeli boni habuissent tantam a Deo auxilium sine quo non, seu gratiam versatilem, qua possent perseverare, a se vero perseverandi voluntatem, & actum, nullo potentiori auxilio accepto, quod in eis operaretur, ut vellent, se fecissent meliores, quam Deus eos fecerat; melior est enim ille, qui bonum facit, quam qui simpliciter potest; qui de facto perseverat in accepta justitia, quam qui simpliciter perseverare potest: ergo, juxta Aug. gratia efficax fuit necessaria Angelis ad perseverandum. Idem ex eodem principio concludit August. Enarrat. in Ps. 70. loquens de Angelis: *Tibi debent quod vivunt, tibi debent quod justè vivunt, tibi debent quod beatè vivunt.* Item l. 2. de pecc. meritis c. 18. ex eodem principio inferit necessitatem gratiæ victricis pro statu naturæ lapsæ. Verba infra referam. Et tandem ipsi Adversarii ex sæpè dicto principio probant contra Molinistas necessitatem gratiæ per se efficacis in hoc statu. Unde, quidquid reponere possunt, ut vim hujus argumenti effugiant, qua parte probat necessitatem gratiæ efficacis in statu innocentie, reponunt Molinistæ, ut ostendant, gratiæ efficacis necessitatem in statu naturæ lapsæ non fuisse probatam Augustino.

Respondent itaque 1. Aug. loqui de 1. bona voluntate, in qua Angeli creati sunt a Deo justè, & sancti, non de illa voluntate, qua postea liberè & meritorie in ista 1. bona voluntate permanserunt. Sed contra 1. Aug. loqui, non tantum de prima, sed etiam de 2. bona voluntate libera, & meritoria, patet intuenti textum, quem laudavimus; loquimur enim de illo actu voluntatis Angelicæ, quo Angeli jam boni, & justè a Deo conditi ad Deum ut ultimum finem se liberè converterunt. Item loquimur de ea bona voluntate Angelorum, quam *Non nisi operante adjutorio Creatoris habere potuerunt.* Non adjutur autem, nisi is, qui aliquid agit. Unde quamvis bona voluntas habitualis, tam Adam, quam Angelorum, dicatur esse a Deo infundente, non tamen dicitur esse a Deo adjuvante. Denique loquimur de ea voluntate bona, quæ *In solo desiderio inops non mansit, sed melior avidiorque a Deo facta est*; quod non potest intelligi de habituali justitia infusa in creatione, sed de actu libero. 2. Dato gratis verum esse hanc eorum responsionem, saltem constat Aug. statuisse hoc generale principium, nullam creaturam, neque Angelum posse se facere meliorem, quam Deus eam fecerit; ex quo sequitur, ut probavimus, quod non habeat a se quod bene agat, quod per-

perseveret, sed a Deo. Adde Augustinianus urgere hoc principium contra Molinistas, ut inde probent necessitatem gratiæ efficacis in natura lapsa; quidam inde pariter probent eandem necessitatem in statu innocentie, & negantes arguamus contradictionis?

Respondent 2. Angelos non posse quidem se sine Deo facere meliores, quam Deus ipsos fecerit, posse tamen cum Deo: sic autem contingit, dum Angeli gratia versatili instructi reipsa in bono perseveraverunt. Nec amplius requirit Aug. Itaque Laurentius Bertus, Eremita Augustinianus. Sed contra 1. Juxta Aug. cit. Angeli non potuerunt se facere meliores, nisi operante adjutorio Creatoris, ut faciant; atque per auxilium sufficiens, & versatile Deus non operatur, ut faciant, sed solum per auxilium quo, seu efficax: ergo. 2. Juxta Aug. Angeli non potuerunt se facere meliores, non solum nisi cum Deo, sed etiam nisi ex Deo donante, ut ita dicam, meliorem, quam certò non dat per auxilium versatile, sed per efficax: ergo. Prob. Ant. Angeli facti sunt meliores per bonum usum gratiæ; atque bonus usus gratiæ, juxta Aug. non solum est cum Deo, sed est ex Deo ipsum donante: sic enim loquitur l. 1. Retract. c. 9. *Cum omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo sint, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, qua in magnis numeratur bonis.* Et l. 2. de peccat. meritis c. 18. *Si nobis, inquit, libera voluntas ex Deo est, que adhuc potest esse vel bona, vel mala, bona vero voluntas (id est volitio) ex nobis est, melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est: quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem (id est, ipsam volitionem bonam) nos divinitus adipisci: ergo. 3. Moliniani, propugnant gratiam versatilem, & impugnant per se efficaciam in præsentis statu, respondent pariter Aug. velle Angelos non potuisse se facere meliores sine Deo, bene tamen cum Deo; atque Augustinianus exsufflant hoc subterfugium, tanquam ab Aug. mente alienum: ergo se suis armis jugulant, & ex proprio ore condemnantur.*

Respondent 3. quidam alii, qui principis Augustinianorum non sunt addicti, ex hoc principio Augustini: *Neminem suis viribus posse se meliorem facere, quam factus sit a Deo*, non posse inferri neminem posse suis viribus perseverare; quia, inquit, homo perseverando non fit melior, sed remanet, qualis erat: idque tentant probare ex D. Thom. contr. Gent. c. 155. dicente, *perseverantiam non dicere aliquid hic, & nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus.* Sed contra 1. Hæc Responsio evertit doctrinam Ecclesiæ, contra Pelagianos definitam, de ineffabili dono perseverantiæ in hoc statu; loquitur enim S. Thom. de perseverantia in hoc statu. Nec advertit respondens, S. Doctorem ibidem ex ipsa notione perseverantiæ colligere perseverantiam esse donum speciale. *Perseverare, inquit, non dicit aliquid hic, & nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus. Ista igitur effectus, qui est perseverare in bono, est supra potentiam liberi arbitrii. Indiget igitur homo ad perseverandum in bono auxilio divine gratiæ.* 2. Esto justum perseverantem non fieri meliorem additamento justitiæ, sit tamen melior novo perfectiorique modo justitiam habitam retinendo, hoc est, sit melior continuatione justitiæ præcedentis; hæc enim continuatio est indubie bonum, & excellentissimum bonum, ad quod requiritur auxilium speciale. Neque verum est, justum perseverantem remanere, qualis erat; sit enim perseverans & antea non erat, sique habet novum justitiæ modum, quem antea non habebat.

Secundum, quod expendo in testimonio Aug. est, S. Doctorem exposito principio, neminem, neque Angelum posse se facere meliorem, quam Deus ipsam fecerit, inferre, quò in Angelis nullum sit bonum, quod Dei auxilium non sit in eis operatum. Tria autem bona in eis distinguit. Primum, omnibus bonis, & malis commune, scilicet bonam voluntatem, in qua omnes creati sunt. Secundum, quo boni a malis sunt discreti, scilicet perseverantiam in accepta justitia. Tertium istius secundi præmium, scilicet inamissibilem beatitudinem. Hæc, inquam, tria bona Deum in illis esse operatum, ex suo principio concludit. 1. Dedit omnibus in sua creatione bonam voluntatem. 2. Cum se ad ipsum motu libero converterent, id Deus fecit excitando avidiores, adeoque aliis meliores. 3. Tandem æterna beatitudine donando implevit meliores.

Tertium, quod præcipue in præfato testimonio observo, est, quòd, cum Aug. compendio dixisset Deum bonos Angelos meliores effecisse excitando avidiores, id postea accuratius explicans, duos modos exponit, quibus boni Angeli potuerunt a Deo effici meliores. Primum, inquit, quia Angeli, qui ceciderunt, acciperent in sua creatione minorem gratiam, consequenter boni majorem; quo supposito, palam est Angelos sanctos factos esse meliores a Deo, non a seipsis. Sed, qua incertum erat Augustino, an revera, qui ceciderunt, minorem

gratiam in sua creatione receperint, & quidem oppositum sit verum; addit, quòd, si omnes sint creati æqualiter boni, illi, qui perseveraverunt, *Amplius fuerint adjuti, seu majus auxilium actuale receperunt, quo perseveraverunt, & meliores aliis effecti: ergo juxta Aug. Angeli sancti præter auxilium sufficiens omnibus collatum indigebant altero potentiori, & efficaciori, quo perseverarent, & meliores efficerentur.* Nihil non tentant Adversarii, ut vim hujus testimonii eludant. Itaque

Respondent 1. & communis post Jansenium, S. Aug. per tò *Amplius adjuti*, non intelligere adjutorium viz, quo perseveraverunt, & perseverando pervenerunt ad beatitudinem; sed de adjutorio Patriæ, quòd dicitur esse vel in æm gloriæ, vel certitudinem de perpetuitate suæ beatitudinis. Idque tentant probare ex eo, quòd subjungat Aug. *Sicut etiam in libro, quem sequitur iste, probavimus.* In isto libro autem, scilicet l. 1. c. 13. dicit bonos Angelos certam scientiam suæ sempiternæ felicitatis accepisse. Sed contra 1. Contestor, nullum esse Lectorum præjudicium vacuum, qui in his Aug. verbis, *illi amplius adjuti pervenerunt ad beatitudinem*, obviè, & naturaliter intellectus hunc sensum apprehendat. Si namque dicerem de duobus Romanis pergentibus, unum amplius adjutum Romam pervenisse, alterum in via stetit; quis per hoc amplius adjutorium intelligeret adventum in ipsam urbem Romam, aut hujus adventus certitudinem, & non potius eorum seu rædam, aliudve medium, & adjutorium, quo primus adjutus in via Romam pervenit, & quò alter fuit privatus. Sic in nostro casu. Sicut enim adventus in urbem Romam est terminus amplioris adjutorii in mea propositione, ita palam esset possessionem beatitudinis esse terminum amplioris adjutorii in præfati Aug. Unde, cum dicunt adversarii ipsam beatitudinem esse istud amplius adjutorium, faciunt hunc sensum: *Sancti Angeli non amplius adjuti, seu obsequè ampliori adjutorio pervenerunt ad beatitudinem, qua est amplius adjutorium:* quæ propositio est contradictoria propositioni Aug. Neque obstat, quòd Aug. lib. de corrept. & grat. c. 12. vocet beatitudinem adjutorium; aliud est enim dicere beatitudinem adjutorium, quòd quis continet ad beatum; aliud est beatitudinem dicere adjutorium, quo pervenitur ad beatitudinem, quòd est absurdum.

2. Hæc interpretatio repugnat intento Aug. Non enim querit Aug. loco à nobis laudari, undè sit major, aut minor certitudo Angelorum circa beatitudinem, id jam egerat l. 11. c. 19. sed undè sit bona, & melior voluntas, qua se converterent ad Deum, & perseveraverunt, ut patet ex toto contextu, & ex ipso capitis titulo. Si autem amplius adjutorium referatur ad ipsam beatitudinem, seu ad certitudinem ejus perennitatis, non ad ipsam bonam, & meliorem voluntatem, hinc habetur, undè sit illa beatitudo, & ejus perennitatis certitudo, scilicet a Deo; sed non habetur, undè sit bona & melior voluntas, qua steterunt, quòd tamen querit Aug. imò sequitur, quòd non sit a Deo, cum nihilominus id statueret interdat Aug. Adde consequenter, quòd secundum istam responsionem Angelus se faceret meliorem, quam sit a Deo factus; cum a se, & non a Deo, bonam voluntatem, qua stetit, & se converterit ad Deum, haberet, ut antea ex Aug. principio arguebamus. Neque obstat, quòd Aug. remittat Lectorem ad librum præcedentem, ubi dicit Angelos certam suæ sempiternæ felicitatis scientiam recepisse. Id enim nullatenus negamus; sed negamus hanc ipsam scientiam esse amplius adjutorium, quo adjuti pervenerunt ad Beatitudinem, ut hic dicit Aug. siquidem hanc scientiam non nisi adepta Beatitudine acceperint.

Respondent 2. Aug. intellexisse amplius adjutorium intrinsecam auxilii sufficiens, & versatilis, non autem amplius adjutorium, quòd sit per se efficax. Sed contra 1. Aug. intellexit amplius adjutorium, quòd esset certa causa, cur si præ aliis se ad Deum converterent, & perseverarent; de hoc enim erat questio; sed quocumque auxilium indifferens atque versatile, hoc ipso quo est indifferens, & versatile, non potest esse certa causa bonæ voluntatis, cum potius ab ipsa dependeat, ut ejus indifferencia tollatur: ab agente enim indifferenti, ut indifferens est, effectus determinatus prodire non potest. Et hinc sequitur 2. Juxta hæc responsionem Angelos perseverantes se fecisse meliores, quam a Deo sint facti, ut supra arguebamus ex Aug. principio. Insuper, ut quid istud amplius auxilium versatile, & sufficiens? Cum illud, quo erant instructi, esset plenissime, & cumulativissime sufficiens in linea auxilii sufficiens.

Respondent 3. Aug. intelligere amplius adjutorium, non de auxilio interno, sed externo, scilicet de externa protectione Dei, ne sancti Angeli tam graviter ut ceteri tentarentur. Sed contra 1. Equidem illi, qui aliquo instanti consummarunt viam, antequam reprobi a Deo discederent, non fuerunt tentati: ceteri verò eodem modo fuerunt tentati malorum exemplo, quòd omnium mentibus æqualiter observabatur. 2. Ex hæc solutione, sicut ex præcedentibus, sequitur bonam voluntatem Angelorum non fuisse a Deo operante, ut loquitur Aug. sed

a se ipsis, si que se fecisse meliores, quam Deus eos fecerit, contra invictissimum Aug. principium. Jure itaque Franciscus Henno, quamvis opinionis Jansenii in hac parte assertor, disp. 2. de princ. Act. hum. quest. 4. art. 3. dicit, quòd his & aliis explanationibus interpretari Aug. sit ipsum *ad sensum improprium detorqueri.* Undè ipse cum nodum solvere non possit, audacter secat, & dicit, Aug. se retraxisse in libr. de corrept. & grat. Sed vicissim Laurentius Bertus, ejusdem opinionis Jansenianæ fervidus defensor, arbitratur Franciscum Henno ita sentire *nulla ductum ratione.* Et merito: 1. namque, quamvis 5. aut 6. libros priores de Civ. Aug. composuerit ante librum de corrept. & grat. probabilis est tamen reliquos post ipsum & sub finem vite auctoris circa ann. 429. quatuor annis post editum librum de corrept. & grat. fuisse scriptos, ut observat Coqueus in præfatione ad hos libros, & probat Rivius vite S. Aug. Scriptur. l. 3. c. 13. §. 4. 2. Quia Aug. æque in libris retractat. neque alibi hujus fæctæ retractationis mentionem facit. 3. Quia hoc generale principium, neminem scilicet se posse facere meliorem, quam Deus fecerit, ex quo fuit solemne dictum, *amplius adjuti*, non solum non retractavit Aug. sed constanter usque ad finem vite propagavit. 4. Tandem, quia non alia ratione dicit Henno, Aug. retractasse libr. de corrept. & grat. quæ dixi l. 2. de civit. Dei, nisi quia existimat ea non posse conciliari; quam equis opinionem esse falsam, infra demonstrabimus.

Quantum denique & ultimum, quòd expendo in præfato Aug. testimonio, est ipsa responsio, quam S. Doctor facit questionis propositæ. Questio erat, ut fert titulus capitis: *An sancti Angeli, quem habent Creatoris in natura, eundem habeant bonæ voluntatis (id est, bonæ volitionis, qua perseveraverunt) Auctorem, per Spiritum S. in eis charitate diffusa?* Multis præmissis & prælibris, quæ partim retulimus, tandem concludens sic respondet Questioni: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus est eis.* Vides, Deum, definiens Aug. bonam voluntatem operatum esse in Angelis per effusionem alicujus novæ charitatis actualis, siquæ operatur in viris sanctis. Subsumo; atque gratia, per quam Deus operatur in viris sanctis bonam voluntatem, non est merè sufficiens & versatilis, sed per se efficax; non est auxilium sine quo, sed quo, ut totis nervis contendunt Jansenius, & Augustiniani; ergo.

Hoc celebri Aug. testimonio in bona luce collocato, alia breviter subiungo. 1. S. Doctor enarr. in Ps. 32. exponens titulum Psalmistæ: *Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritus oris ejus omnis virtus eorum:* & verba hæc allegorice applicans Angelis, dicit: *Verbo Cæli, id est Angeli, solidati sunt: non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi firmitatem propriam sibi præstitere: non enim habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum a Domino perceperunt: Spiritu enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum;* atque, si non habuerint nisi gratiam versatilem ex liberi arbitrii nutu suspensam, solidamentum, & firmitatem a se saltè ex parte habuissent, reddendo scilicet gratiam versatilem, & indifferenter suo consensu efficacem, supplementumque ex seipsis addidissent, nempe liberi consensum gratiæ indifferenti, ut dicunt adversarii, quæ tamè omnia negat Aug. ergo. 2. S. Aug. libr. de Cantico nono c. 8. dicit: *Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adjuvetur a Deo.* Et si forte dicat cum Bertus, non esse certum hoc opus esse Augustini (quamvis tamen Lovanicenses, quorum editione utor, illud recensent inter opera genuina Aug.) idem repetit S. Doctor ser. 11. de verbis Apost. c. 2. *Hoc modo, inquit, ostendere voluit homini Deus, quid valeat liberum arbitrium sine Deo (per auxilium efficacè adjuvante.) O malum arbitrium sine Deo! Idem miseri facti sumus, quia sine Deo quid valeat experti sumus.* Et in Ench. ad Laurent. c. 106. Homo, inquit, in Paradiso ad se occidendum relinquentis justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret. Ex quibus evidentè sequitur, Adamum præter justitiam originale & gratiam versatilem, seu auxilium sine quo, quòd illi semper præsto erat, & quòd si defuisset, nunquam sua culpa cecidisset, indiguisse altero efficaciori adjutorio ad bonum.

Respondet Bertus, indè non sequi necessitatem gratiæ efficacis in Adamo, sed tantum ipsum contempsisse gratiam versatilem, quam habebat, & non voluisse ut illa: cui si fideret voluisset & illa uti, sufficisset ad bonum: si que demonstratum est, liberi arbitrium non sufficere ad bonum, nisi adjuvetur a Deo, illo scilicet adjutorio, quòd habebat, & quo noluit uti Adam: sicut, si claudus incedens proferret baculum

& caderet, monstraretur ipsum non posse incedere sine baculo. Sed contra 1. Quando Aug. dicit in Ench. cit. de Adamo: *Ut ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi, qui eum fecerat, adjuvaret,* evidens est, quòd non loquitur de Adamo contentente, & abijciente auxilium versatile & sufficiens, cum supponat illum aequaliter velle tenere viam justitiæ, quòd certò non poterat sine auxilio saltem sufficiente: ergo arbitraria est, & infundata Glossa Bertiniana. 2. Juxta Aug. ut Adam vellet efficaciter uti auxilio versatili, quòd illi præsto erat, indigebat ulteriori & efficaciori auxilio: ergo ex laudatis textibus legitime inferimus, Adamum præter gratiam versatilem indiguisse alio efficaciori auxilio. Prob. Ant. In primis ex loco mox cit. Enchir. & ibid. *Esi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* It cap. seq. 107. *Factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino.* Item ex l. 14. de Civit. c. 27. ubi, cum dixisset Adamum fuisse victum a diabolo, quia de Dei adjutorio confidere noluit, subjungit: *Quamvis & hoc ipsum confidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei.* Item ex l. 11. de Genes. ad litr. c. 4. *In sua potestate, inquit, habebat velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Tandem ex principio generali, quòd habet l. 1. Retract. c. 9. omnia bona esse a Deo, quòd currit etiam in statu innocentie: *Cum omnia bona, inquit, & magna, & media, et minima a Deo sint, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberi arbitrii, qui in magnis numeratur bonis.* Undè, ut ad exemplum Bertus redeam, si claudus non posset uti baculo absque ulteriori ope illius, qui illum ei dedisset; dum diceretur: claudus instructus baculo non potest incedere, nisi adjuvetur, sensus esset, quòd ultra baculum requireretur aliud auxilium, quòd uteretur baculo.

Ex dictis eruit legitimus sensus istorum verborum, quæ ex c. 10. libr. de corrept. & grat. nobis opponunt adversarii: *Suluberrime, inquit Aug. confitemur, quòd rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium... sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratiæ beneficium, justitiæque iudicium.* Hæc, inquam, verba multum extollunt adversarii, & tanquam unum ex præcipuis fundamentis suæ sententiæ statuunt, quasi Aug. per hæc significare voluerit Deum primò contulisse Adæ & Angelis tale arbitrium, quòd sibi subiceret gratiam acceptam, & se solo sine novo gratiæ adjutorio posset perinde bonum & malum. Nos contra dicimus, S. Aug. hæc protulisse, non ad commendationem, sed ad deprecationem liberi arbitrii, neque significasse, quòd Deus voluerit ostendere, quid se solo sine nova gratiæ posset ad bonum, sed tantum quid posset ad malum. Hunc esse legitimum Aug. sensum, probant textus prius laudati. Probat id, quòd dicit S. Doct. c. 11. seq. de corrept. & grat. *Liberum arbitrium, inquit, ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Deo.* Imò probat ipse textus objectus, si attentè inspicatur: idè enim Aug. dicit, Deum prius voluisse ostendere, quid posset liberum arbitrium, quia *Scriptis magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bonè facere.* Onod aperte indicat, Deum voluisse ostendere, quid possit arbitrium ad malum.

3. Aug. Ep. 106. arguens contra Semi-Pelagianos probat a minori ad majus, hominem sine gratiæ Dei non posse in præsentis statu reparare, quòd perdidit, quia in statu innocentie non potuit sine gratiæ Dei custodire, quòd habuit. Hæc sunt eius verba, quæ Conc. Arausicanum 2. in suis Canonibus transfudit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo tamen modo seipsam, Creatora suo non adjuvante, servaret. Undè, cum sine gratiæ Dei salutem non posset custodire, quam accepit; quomodò sine gratiæ Dei poterit reparare, quòd perdidit?* atqui istud argumentum nihil probaret contra Semi-Pelagianos, si ista gratia necessaria Adæ ad perseverandum esset gratia habitualis, aut actualis versatilis, & non per se efficax: poterant enim retorquerè argumentum Semi-Pelagianis contra Aug. sic; ex te eadem gratia necessaria est homini ad resurgendum, quæ fuit necessaria Adamo ad standum; atque ex te sola gratia habitualis, aut actualis versatilis, & non per se efficax, fuit necessaria Adamo ad standum: ergo sola gratia habitualis, aut actualis versatilis, & non per se efficax, est necessaria homini lapsò ad resurgendum. Quo semel dato, tota Aug. doctrina de gratia evertitur.

Prob. 2. Conclusio ex fidelissimis Aug. discipulis S. Fulgentius l. 2. ad Trasimund. c. 2. *Cognoscitur, inquit, cunctos Angelos uniformi ruina consortio opprimi posse, nisi, quos vellet, a casu pravitatis virtus illa defenderet, que sola naturaliter mutari, depravarique non potest:* ergo aliquibus An-

gelis, quibus singulariter voluit Deus, peculiari virtute subven- tum est, ne cum aliis caderent: hæc autem virtus non fuit gratia versatilis, hæc enim omnibus, & stantibus, & cadentibus concessa est: ergo efficac.

Respondet Berti, S. Fulgentium per virtutem intelligere veri- bi divinitatem, non gratiam ab eo diffusam, idque probare con- tendit ex his, quæ habet Fulgentius cap. seq. & ex quibus nos e contra contendimus nostram sententiam probari. Una est, in- quit Fulgentius, in utroque gratia operata, in hoc ut surge- ret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sa- naretur; ab hoc infirmitatem repulit, hinc infirmari non si- vit; illius esca, istius medicina. Hinc autem quisquis sanum caput, filium Dei esse non ambigit, qui est virtus, & sapien- tia Patris, sapientia immutabilis, virtus inseparabilis. Pro- sequitur ironice Berti, vir alioquin modestus: Hæc sunt egre- gia pro efficaci gratia testimonia? Si ita est: si eadem gra- tia quantum ad vim effectivam in utroque statu requiritur; quomodo erit potentior, quæ sanat vulnera, & reprimat per- ducit concupiscentiam? Et si validior, quomodo est eadem? Sed contra i. dato Fulgentium per virtutem intelligere Verbi di- vinitatem, stat nihilominus argumentum ex illa petum, scilicet bonos Angelos divina virtute fuisse specialiter munitos, ne cum aliis caderent, sicque eorum perseverantiam non esse a vir- tute liberi arbitrii, communibus tantum, & versatilibus auxiliis adita. 2. Non advertit doctissimus Berti, Fulgentium facere transitum a Verbo Dei ab ipso diffusam in Angelos, & homi- nes; subiungit enim (quæ omisit respondens) Sapientia, quæ illuminat, virtus quæ adiutorium præstat, id est, virtus subst- antialis, quæ virtutem præstat accidentalem Angelo stanti, ne cadat; homini lapsu, ut resurgat: id enim præstare non potest absque alicujus virtutis effusione intrinsece recepta. Ad im- plicantiam, quam opponit, R. Hanc gratiam esse eandem, & diversam sub diversa ratione; est eadem essentialiter, est di- versa accidentaliter. Vide, quæ dixi in expositione status natu- ræ innocentiæ.

S. Greg. Hom. 14. in Ezech. Unigenitus Patris, inquit, qui sursum est firmatus Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum: illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium ut surgamus. Et l. 25. moral. c. 8. loquens de Angelis, dicit aliis cadentibus, alios a Deo fuisse solidatos, utique similiter casuros nisi solidati fuissent.

S. Bernardus serm. 22. in Cantica: Qui, inquit, erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne labatur, sic illum de corporitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens: & hac ratione fuit æquè virique redemptio, salvans illum, & servans istum.

His conformiter S. Thom. in hac parte quest. 109. art. 1. & 9. o. generaliter sic resolvit: Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritalis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. Deinde de natura inte- gra specialiter art. 2. o. Natura hominis, inquit, potest consi- derari simpliciter. Uno modo, in sui integritate, sicut fuit in primo Parente ante peccatum: alio modo secundum quod est cor- rupta, in nobis per peccatum primi Parentis. Secundum autem utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, sicut in primo move- re. Et explicato discrimine inter naturam sanam, & infirmam concludit articulum his verbis: Sic igitur virtute gratuita super- addita virtuti nature indiget homo in statu nature integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale: in statu autem nature corruptæ quantum ad alio, scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernatura- lis virtutis operetur. Uterius autem in utroque statu indiget auxilio divino, ut ab ipso moveatur. art. 3. o. Homo in statu nature integræ non indigebat dono gratiæ superaddite natu- ræ bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu nature corruptæ, indiget homo etiam ad hoc auxilio gra- tia naturam sanantis. Sicque ferè per totam questionem. Et hæc est in terminis, ut patet, sententia nostra.

At fallimur fortè? Audis, inquit Berti, auxilium gratiæ moveatis, non audis, prædeterminantis. Moventis dixit, non ef- ficaciter præmoventis. Inveni nomen motionis universalis, & gratiæ sanantis, & nihil aliud. Serium ne sit in Augustiniano hujusmodi responsum, an negaretur, aut consulto emissum, ut lectoribus caliginem offundat, nosque ad extraneas disputatio- nes divertat? Dicant alii. Cæterum, si iste Theologus questio- nem non moveat de nomine, quod puerile foret, sed de re, habebit S. Thom. sextentis plus minusve locis nomine motionis divine docuisse motionem efficaciter præmoventem, prædeter- minantem, & specialem. Id integris voluminibus demonstra- runt nostri Thomistæ, sed quod discutere non est presentis ois. Quapropter hæcò duntaxat verbis hic laudatis S. Thom. & sic arguo. 1. Juxta S. Thom. præter gratiam originalem, &

virtutes superadditas virtutibus nature requiritur in statu nature in- tegre tale auxilium, quo homo moveatur ad bene agendum, quale in statu nature lapsæ præter gratiam sanctificantem, & virtutes sanativas requiritur: Uterius, inquit S. Doctor, in utroque statu indiget auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum; atqui auxilium, quod requiritur in statu nature lapsæ, quo homo moveatur ad bene agendum, est, fatenti- bus adversariis, efficaciter præmoventis, prædeterminans, & spe- ciale: ergo. 2. Homo in statu nature integræ ex D. Thom. in- diget auxilio, quo moveatur ad bene agendum; ergo quo præ- moveatur efficaciter, alioquin maneret immotus, & vinceretur ab homine Deus: ergo, quo prædeterminetur ad hoc bonum opus, quia per prædeterminationem nihil aliud intelligitur, quam præmotio efficac. 3. Istud auxilium ulterius, quod requirit S. Thom. ut homo moveatur ad bene agendum, non est auxi- lium sine quo, illud enim supponitur: ergo auxilium quo, & efficac. Item non est auxilium versatile, & indifferens, quia auxilium versatile, & indifferens non movet hominem ad al- iquod bonum, sed potius movetur ab homine, cujus nempe consensu determinatur: ergo efficac. Quædam ulterius opponit Berti ex D. Thom. quæ putat nobis esse contraria, de quibus dicam in sol. object.

Prob. 3. Conclusio ex principiis Aug. Primum principium Aug. ex quo probatur fuisse Adam, & Angelis necessariam gratiam efficacem nimirum nullam creaturam posse se facere me- liorem, quam a Deo facta sit, jam plusquam satis expendimus. Secundum huic finitimum est, non posse hominem homini esse meliorem, quam Deus ipse sit homini. Ita enarr. in Ps. 58. Ex quo sic argumentor: Ille melior est alteri, qui dat illi quod melius est; atqui, si Angelus, & primus homo habuissent tantum Deo posse perseverare, a se autem actualem perseverantiam, dedissent sibi quod est melius; melius est enim, ut jam diximus, agere, perseverare, quam posse perseverare: ergo Angelus, & homo fuissent sibi meliores, quam Deus ipsis.

Tertium principium Aug. est neminem habere a seipso in or- dine supernaturali, de quo in semetipso possit gloriari, & quo ab aliis se discernat. Ita passim S. Doctor, præsertim de dono persever. c. 15. ex illo Apost. 1. Cor. 4. Quis se discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Quod principium etiam extendit ad An- gelos l. 11. de Civit. c. 19. ubi dicit, quod solus ille discernere potuit (Angelus) qui potuit etiam, priusquam caderent, præstare casuros; atqui in systemate Jansenii, & Augustinianor- um unus Angelus habet a se, quo possit in semetipso gloria- ri, & ab aliis se discernat, ergo. Prob. Min. Pone duos An- gelos gratiæ versatili æque instructos, quorum unus suo assen- su eam reddidit efficacem, & perseverat, alter suo dissensu red- dit inefficacem, & cadit; palam est, primum se per semetip- sum ab alio discernere, & habere a se, quod in se, & non in Domino gloriatur: ergo. Neque dicas, quod unus non se dis- cernit ab alio sine gratiæ versatili; id quidem verum est, sed non se discernit per gratiam versatilem: Gratia enim, quæ est communis bonis, & malis, non discernit bonas a malis, inquit Aug. libr. de nupt. & concup. cap. 3. & libr. de prædest. Sanct. c. 5. Vide plura circa hoc argumentum de scientia media §. 3. quæ enim cõtra illud reponunt Molinistæ pro statu nature lapsæ, eadem reponunt Augustiniani pro statu nature innocen- tis. Unde utrisque eadem solutiones sunt adhibende, & ea, qui- bus dicit Augustiniani impugnant evasiones Molinistarum, con- tra ipsos sunt reponenda.

Quantum Aug. principium. Creatura innocens debet ora- re, & petere a Deo donum perseverantiæ, & ea obtenta illi gratias referre: Quis enim audent dicere, aut credere, inquit Aug. 14. de Civit. c. 17. ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse: ergo debebat hanc per- severantiam petere, & pro ea obtenta gratias agere: id dicit commu- nis pietatis sensus. Unde Gelasius Papa Doctrinæ Aug. approba- tor, & vindex in libello adversus Pelagianos, & Ep. 3. ad Epis- copos per Picenum constitutos (habentur Tom. 4. Concil. Labb.) dicit, Adamum idè peccasse, quia sibi fidens ad Deum ora- tionem non confugit, ut gratiam sibi necessariam obtineret. Item docet S. Thom. 1. p. quest. 94. art. 4. ad 5. Ade, inquit, in tentatione non fuit subventum, quia recursum non habuit ad Deum pro obtinendo auxilio, quo perseveraret; atqui in hypo- thesi, quod Adam, & Angelus essent instructi gratiæ versatili, qua cum erant perseveraturi, modo illam suo assensu redderent efficacem, nihil ultra illis erat a Deo expectandum, & petendum, ut perseverarent, cum jam totum ab eorum libero voluntatis assensu penderet: ergo non debebant Deum orare, ut ab eo perseverantiæ donum obtinerent. Quid enim stultius est, in- quit Aug. libr. de nat. & grat. c. 18. quam orare, ut facias, quod habes in tua potestate; neque pro hoc dono obtento gra- tias agere; quia, ut ait idem Aug. Ep. 107. ad Vitalem: Non gra-

gratias agimus Deo, sed nos agere fingimus, si unde illi gra- tias agimus, eum agere non putamus.

Respondet Berti, Adamum innocentem non debuisse ora- re oratione genitis, qua nempe pertinet auxilium nondum col- latum, sed oratione laudis, qua de accepto auxilio gratias Deo referret, & ejus conservationem peteret. Sed contra: Neque pro conservatione hujus auxilii ullatenus erat necesse, ut ora- retur Adam, quippe nisi peccasset, certo sciebat sibi subtrahi non posse; si enim sibi negatum, aut subtrahatur fuisset, jam ille sine sua culpa cecidisset, inquit Aug. c. 11. de corrept. & grat. Gratiarum autem actio, quam Berti vocat orationem lau- dis, non est proprie oratio; hæc quippe respicit beneficium obtinendum, illa obtentum. Insuper non fuisset in hac hypo- thesi locus gratiarum actioni saltem pro perseverantia; quia An- gelus stans non plus a Deo accepit, quam Angelus cadens: ut- que enim accepit a Deo naturam, & gratiam versatilem, quam bonus non ex Deo, sed ex se fecit efficacem. Si dicas, Ange- lum sanctum debere Deo gratias agere pro adepta corona glo- riæ, quam malus non obtinuit; ita est: sed sajtem pro gratis acceptis in via Angelus beatus non debet Deo majores gratias agere, quam reprobis, & in æternum damnatis; quod horrent piz aures.

Quintum Aug. principium est inscrutabilitas hujus questio- nis: cur unus gratiæ consentiat, & non alter? Cur unus in ac- cepta justitia perseverat, & salvatur, & non alter? De dono per- sever. c. 9. & 12. de spirit. & lit. c. 33. & alibi; atqui, si tam homini, quam Angelis data sit tantum gratia versatilis, quam suo nutu redderent efficacem, vel inefficacem, non est inscruta- bile, cur hi salvantur, illi damnantur, sed facili solutio, scilicet homines salvari, qui proprio arbitrio consenserunt gratiæ; illos damnari, qui dissenserunt. Neque dicas, Aug. hanc judi- ciorum profunditatem tantum agnosce pro statu nature lapsæ: nam l. 11. de Genes. ad lit. c. 10. loquens universaliter de omni creatura rationali, consequenter de Adamo, & Angelis, ait: Sed posset Deus etiam ipsorum voluntatem in bonum con- vertere, quoniam omnipotens est: posset planè: cur ergo non fecit? quia noluit: cur noluerit? genis ipsum est.

Prob. 4. Conclusio evertendo fundamentorum adversariorum. Si motio per se efficac non esset necessaria in statu innocentie, idè foret, ut volunt adversarii, quia juxta Aug. tota ejus ne- cessitas reperitur ex sola infirmitate nature lapsæ ad actus super- naturales, & meritorios; atqui falsum Consequens: ergo & Ant. Prob. Min. Aug. repetit necessitatem motionis efficacis, non so- lum ex infirmitate nature lapsæ, sed etiam ex omnipotentia Dei, ex subordinatione, & dependentia omnis creature a Deo in agen- do: ergo. Prob. Ant. in primis S. Doct. l. 3. de Trinit. c. 1. statu- itur tantum principium constans, & universale, quod divina voluntas sit prima, & suprema causa omnium corporaliū, & spiritalium motionum; quæ verba profert ex Aug. S. Prosper sententia §. 8. 2. Lib. 5. de Genes. ad Lit. c. 20. Deus, inquit, movet occulta potentia universam creaturam suam, eoque mo- tu illa versata, dum Angeli justa perficiunt, dum circumveniunt sidera, dum alternant venti... dum viræta pullulant... expl. cat secula, quæ illi cum primis condita sunt tanquam implicita indiderat, quæ tamèn in suos cursus non explicaverunt, si ea ille, qui condidit, provido motu administrare cessa- ret. Et in fine c. 23. ea, quæ omnia simul fecit, admi- nistratorio actu gubernans easque movens, sine cessatione ope- ratur. Ibi nulla mentio, ut quæstio de infirmitate nature ad actus supernaturales, & meritorios, sed de sola subordina- tione, & dependentia omnis cause create, etiam naturalis, in agendo a Deo omnipotente ut prima causa, & primo mo- tore.

3. Libr. de corrept. & grat. quem nobis opponunt adver- sarii, c. 14. loquens de electione Saulis in Regem, quæ erat actio merè civilis, & naturalis dicit: Non est itaque dubitan- dum, voluntati Dei, qui in Cælo, & in terra omnia quæcum- que voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, facit, humanas voluntates non posse resistere quominus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntati- bus, quod vult, cum vult, facit; nisi forte (ut ex multis aliis commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, (quod utique erat positum in eorum potesta- te) ut etiam Deo vellent resistere; qui tamèn hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens huma- norum cordium quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem. Et paulo post de electione Davidis in Regem: Om- nipotens Deus, inquit, adduxit illos, ut cum Regem constituer- rent. Et quomodo adduxerit? Numquid corporalibus ulla vis- cibus alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatis eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cum voluerit Reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suus, quis alius Theol. Billuart. Pars Secunda.

facit, ut salubris sit correptio, & sicut in correpti corde correc- tio, ut celesti constituantur in Regno? Et l. contr. duas Ep. Pelagii c. 20. loquens de mutatione Regis Assueri ab indigna- tione ad mansuetudinem, quæ etiam fuit actus ordinis naturalis: Deus, inquit, occultissima, & efficacissima potestate cor Re- gis convertit, & transiit ab indignatione ad lenitatem: hoc est, a voluntate ledendi ad voluntatem fovendi, secundum illud Apost. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle. In his om- nibus aperte sunt motiones efficaces, quarum tamèn necessitatem non repetit Aug. ex infirmitate nature læse, sed ex omnipoten- tia Dei, & dependentia creaturarum ab illo, ut patet tum ex terminis, tum quia, ut dixi, istæ electiones, & actiones erant merè civiles, & ordinis naturalis, ad quas impertinens est infir- mitas nature læse in ordine ad actus supernaturales, & merito- rios. Imò ex necessitate motionis efficacis ad illos actus civiles inferit Aug. tanquam a minori ad majus necessitatem hujusmodi motionis ad actus salutaris, nempe ad correctionem cordis, & morum, ut patet ex verbis secundi textus, quodque apertius re- petit libr. de Prædest. Sanct. c. 20. ubi, defendens hanc suam illationem contra Semipelagianos dicit: Existimant ad Regna terrena faciendâ Deum inclinare, ad Regnum verbò celeste ob- tinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates... Cogitant, quale sit ut credamus ad constituendâ Regna terre- na hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum Regnum Calorum homines operari voluntates suas: ergo Aug. ex omnipotentia Dei, atque Creaturæ dependentia ab illo repe- tit necessitatem motionis efficacis, & in naturalibus, & in super- naturalibus.

4. Idem probant textus sequentes in Ench. c. 96. Deus, in- quit, non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creature (consequenter nequè Adami, neque Angelorum) voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Et c. 102. Quælibet sint voluntates, vel Angelorum vel hominum, vel bonorum, vel malorum, omnipotentis volun- tatis Dei semper vincit. Et libr. de grat. & lib. arbit. c. 20. Scriptura divina, inquit, cur diligentius inspicitur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vi- tam, verùm etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, id è esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faci- at inclinari. Et enarr. in Ps. 34. expendens illud Davidis: Effun- de frumentum, &c. Quid est, inquit, anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illum tenet, & pugnet de illa? Nam quæ- bet optimè facta frumentum, nisi habeat bellatorem, jacet... Ergo quidquid vult facit de anima nostra: cum in manu ejus est, utatur ea, quemadmodum vult. In his omnibus, & pluribus aliis, quæ longum foret referre, nihil de infirmitate nature, sed omnia referunt ad omnipotentiam Dei. Et ne dicas inesse quidem Deo omnipotentiam pro omni statu, sed eam non exercere in omni statu, quia non est æqua ubique eam exercendi neces- sitas; patet ex textibus laudatis eam exercere in omni statu, at- que agere in omnes creaturas, sive rationales, sive irrationales, in Angelos, & homines, sive sanos, sive infirmos, pro despo- tica potestate, proque supremo quo pollet in eos imperio, re- gendo, flectendo, movendo eorum voluntates, non secùs, ac alias creaturas quo vult, quando vult, & quomodo vult: neque aliter fieri potest; cum enim ex Aug. sit omnipotens causa prima, & suprema, & utatur anima nostra tanquam instrumento pro nu- tu suo, necessario creaturæ etiam rationales ipsi subordinantur, & dependent in agendo.

Confirmatur 1. Si necessitas gratiæ per se efficacis repeten- da sit ex sola infirmitate nature per Peccatum Originale læse, sequitur, quod ubi nulla est infirmitas ex Peccato Originali, nulla sit gratia efficac; sed gratia tantum versatilis: ita do- cent Adversarii; atqui falsum Consequens: ergo & Ant. Prob. Min. In Christo Domino nulla fuit infirmitas ex Peccato Ori- ginali, quod non contraxit: Item in B. Virgine, vel non fuit Peccatum Originale secundum plam opinionem, vel saltem se- cundum omnes fomes fuit ligatus in utero matris, & plene ex- tinctus in Conceptione Christi; atqui tamèn, & Christus, & Beatissima ejus Mater, non gratia versatili tantum, sed efficaci, & efficacissima fuerunt donati: ergo. Major est de fide, saltem quoad Christum: quoad B. Virginem temerarium foret negare. Minorem autem non puto etiam posse a quoquam negari. 1. Quia incredibile est, imò videtur implicatiorum, quod Auc- tor, & Mater gratiæ, qui quovis alio efficacius, & indeclina- bilis a Spiritu S. ducebantur, regebantur, & movebantur in bonum, gratia efficaci caruerint: & quod in Christo non fue- rit gratia Christi, quam tot annis, & tot voluminibus propug- navit Aug. 2. Quia sequeretur, quod bona opera Christi, & Matris ejus non fuerint a Deo prævisa in suo decreto, sed in ipso usu eorum liberi arbitrii per scientiam mediam, quodque Christi prædestinatio ad unionem hypostaticam, & B. Virgi- nis ad Maternitatis Dei dignitatem, utriusque ad gloriam, non fue-